



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 6. Politia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

tum maximè timendi cùm expirant. Iustitia apud eos nulla; cùm quis accusatur furti respondet se eâ re quam furatus est indignisse; tum Iudex, tu similiter furi rape cùm indigueris. Homicida omnibus bonis spoliatur; dat tamen ei iudex vilem equum, & arcum, monètque vt rem suam curet. Terram colere putant opus indignum homine: quid igitur agunt? expoliunt arma, expeditiones meditantur. Lacte equino libentiùs vtuntur, putant enim impinguare. Qui vinum biberit fustuario mulctatur. Numquam ad currum equos religant, sed boues; idque turpissimum iudicant. Aut in curribus degunt, aut in mapalibus raptim excitatis. Nemo vestis genus mutare audet, probè enim fustibus cæditur qui in alienum cultum degenerauerit. Adulterium punitur morte. Pueri Arabicè discunt, vt Alcoranum intelligant. Si sponsa aut sponsus non consummato matrimonio inoriuntur, ridiculis cerimoniis effertur. Terrâ mortuos suos obruunt, cùm plerique Tartari aliter eos sepeliant.

N V M. 5. *Religio.*

SI quam Religionem sequuntur Mahumeti sectæ addicti sunt, plerique enim Tartarorum Athei, omniâque ad voluptatem corporis referunt. Hic tamen plerique Christiani cum suo Episcopo, quorum duæ pulcherrimæ Ecclesiæ Caffæ. Hic etiam Armeni, & Iudæi suis legibus viuunt.

N V M. 6. *Politia.*

VNVS hic Princeps rerum potitur dictus *Kan*, seu *Han*, hoc est Rex, Latinè *Caganus*, aliter *Czar*, hoc est *Cæsar*, aut Imperator, cui semper adiicitur proprium nomen, hoc modo *Abdikiray Kan*. Is filium aut fratrem successorem eligit, quem *Galga* nominat. Qui orti sunt ex familiâ Regiâ dicuntur *Vlani*, filij Principis *Sultani*. Primum aiunt quidam vocatum esse *Lochtonem*, alij *Vlanum* quem ex virgine natum fabulantur. Solet hic Princeps educere equitum 120. millia, & *Circassis* aliisque vicinis coniunctus, 200. millia. Facile transmittunt fluuios equis suis, ad quorum caudas religant arborum ramos implexos, quibus supellectilem imponunt. Si latior fuerit amnis, aut æstuarium viliores maectant equos, & ex eorum

Hh ij

pellibus diligentissimè cymbas cōficiunt, eisque vegetiores equos adnectunt. In castris nihil deperit, fures enim seuerissimè excipiuntur. Non habet certum vectigal hic Princeps, sed eius diuitiæ in eo sitæ sunt, ex singulis captiuis nobilioribus seponit sibi tres Sultanos *sequins*, ex vilioribus aureum nostrum, seu thalerum Germanicum. Mediam partem vectigalium Tauricæ sibi reseruat, alteram enim sibi Turca vendicat. Accipit etiam in dies singulos à Turca 24. aureos, Galga 12. Senatores, item aliquid nummorum; ipse vicissim reponit Ottomano, captiuos Christianos 300. pelles, sal & butyrum. Moldauus offert Chamus quotannis 20. currus mellis, quorum singulis quatuor alligantur boues, & præterea equas 50. Polonus 40. millia Sultanorum Hungaricorum, quod vectigal nomine pensionis obuelat. Tollit etiã aliquid ex Circassis, & Nogaïs. Olim Turcorum fratres dicebantur, nunc verè subditi sunt, ex quo Osmanus Bassa ex bello Persico redux eos aggressus est tempore Amurati, sub finem superioris sæculi, & Chamum in frustra concidit à suis proditum. Nunc enim Beglierbegus Caffæ residet, & plerisque vrbibus Tauricæ imperat, vt mox dicemus. Fodinas omnes auri & argenti Ottomano seruandas curat, & Tartaros in officio continet. Mortuo tamen Beglierbego Chamus Tartaricus negotia Ottomanorum curat, donec alius Præfectus Constantinopoli emittatur. Item etiam ex Portâ honoris causâ mittitur ad Chamum vexillum ex serico, aut viride, aut purpureum, quo in præliis vtatur, & coguntur alij Tartari Turcæ vectigales, aut fœderati coniungere cum eo copias suas, quoties in Christianos expeditiones molitur, aut res Ottomanicæ id flagrant.

MINORIS TARTARIÆ,

seu Precopensis diuisio.

TAR-	PENIN- SVLA dicta	}	GAZARIA, seu	}	CAFFA: Caffa.
			PRECOPIA		Soldadia: Sogdat.
			TVRCICA		Chersona: Sarigermen.
TA-	PRE- COPIA <i>Precopz</i>	}	CVMANIA, seu	}	PRECOPIA: <i>Precopz.</i>
			PRECOPIA		Crimea: <i>Krim.</i>
			TARTARICA		Baccasara: <i>Baccasar.</i>